



Norma giuridica e "Pastorale"

Pericle Felici

Egregie Rector Magnifice, cum Magnificentia Tua, hanc studiorum sessionem exordiens, protulerit verba plena salutis, mihi auspicantia, officio mihi est Tibi gratias agere multas: et rogo ut gratias meas referas etiam Exc.mo Magno Cancellario, quem in honore habemus inter Consultores nostrae Commissionis adnumerare. Hic primus successit egregio et inclito Viro, qui ardenti et providenti animo condidit Opus Dei et hanc ipsam Universitatem a fundamentis erexit: quem quidem plus ab anno e vivis ereptum et pie defunctum et lacrimis et precibus omnes parentavimus.

Obiectum huius Congressus est norma: et norma servanda est inde ab initio. Iamvero legi in programme hanc primam sessionem finem habere debere hora prima p.m., quae nunc elabitur. Ut tutor ordinis et iurista sum, a Magnificentia Tua indultum petere debeo, ut loqui possim, brevius quantum possibile erit. Indultum ergo habeo ut concessum.

Nobile et grave opus iam tertio aggressi estis, honorati Viri, cui dedicando gratulatoria et auspicabilia dicere fas est. Omne enim inceptum ad iuris doctrinam colendam vel ad eius provinciam pertinens cordi quam maxime est iis qui recognoscendo Codici iuris canonici operam iam diu impendunt atque propterea usu quoque norunt quid consilii, quid propositi, quid patientiae, in praesenti rerum conditione, tantum opus exigit.

Accedit quod Conventus celebratur in insigni Universitate Navarrensi quae, licet antiqua non sit, in excolendis tamen iuris disciplinis eximiam laudem sibi promeruit, hispanorum iuris canonici cultorum et doctorum alma et fidelis heres, quorum doctorum primum in hac sede illum commemorare libet Martinum de Azpilcueta, propinquum S. Francisci de Xavier, e loco originis Doctorem Navarrum appellatum, quo nomine Institutum Iuridicum in hac Universitate existens merito decora-



tur. Martini commentarios saepenumero volvere debui cum in studia incumberem ad utriusque iuris lauream penes Universitatem Lateranensem assequendam.

Proinde gratulor iis qui hunc Conventum paraverunt in eoque celebrando suam praestant operam, vehementer auspicatus ut studia relationesque praestitutum finem attingant et ex hac denuo peragrata iuris provincia haud modicum emolumentum Codicis iuris canonici recognitio haurire queat.

Argumentum, quod tractandum assumpsistis, seu norma iuridica, est veluti nux totius iuris. Quamvis enim ius merito dicatur ab Ulpiano, ex definitione iam a Celso data, "ars boni et aequi" (l. 1 D. 1, 1), in illaque potestate consistat, quae a Deo supremo hominum et rerum domino est hominibus arcano tramite derivata, et "ars" et "potestas" norma exprimitur et circumscribitur, ita ut ius ipsum normam seu legem appellare liceat cum eaque illud convertatur. Agitur, ut patet, de norma iuridica, non de quavis norma, licet eminenti, uti est norma ethica seu moralis. Haec enim manet in ambitu relationum hominis cum Deo, internaecque rectitudini immediate prospicit; illa vero, seu iuridica, ordinem socialem proprie spectat rationesque hominum in societate viventium regulat et moderatur.

Sed agitur pressius de norma iuridica, quae canonica dicitur. Ea profecto peculiare habet notas cum in peculiari societate vigere debeat, quae est simul communitas spiritualis, imo et supernaturalis, et societas adspectabilis, hierarchica, institutionalis, idque ex voluntate salvifica ipsius Christi Iesu, qui eam constituit (cf. *LG*, 8, 9; *GS*, 40).

Antequam aliquas meae mentis cogitationes hac de re pandam, quam vos studio et navitate vestra quaquaversus excoletis, sinatis ut tacitae vestrae percontationi de statu operis recognoscendi Codicis brevibus respondeam verbis.

Mense iulio elapso, post tredecim annos a constitutione (at labor solum post Concilium revera initium habuit), nostra Commissio finem imposuit operi primis schematibus canonum parandis, quae iuxta ordinem systematicum, haud tamen definitum, in septem libros distributa sunt et mille quadringentis quadraginta canonibus constant. Sunt quidem tantum prima schemata, praeparata a Coetibus studiorum Commissionis, adhuc recognoscenda et perficienda post praestitutum consultationis iter.

Ex hisce schematibus aliqua iam missa sunt ad consultationis organa copiosaeque factae sunt animadversiones, quam Commissio vel iam perpendit vel perpensura erit: ea respiciunt, praeter Legem Fundamenta-



lem (*quae idcirco nondum mortua et sepulta est!*), disciplinam sacramentalem et ius poenale, necnon proceduram administrativam. Spem foveo non minimam fore ut brevi, consultationis causa, expediantur schemata respicientia ius processuale canonicum et Instituta vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum (*eam scilicet partem quae antea de religiosis appellabatur; haud tamen proprie, quia omnes confidimus... esse religiosos*).

Ut videtis, etsi labor procedit alacriter nullaque interiecta mora, multum adhuc restat faciendum et non parvae sunt superandae difficultates. Vestra studia, colendissimi viri, et vester assiduus amor non solum iuris canonici sed operae quoque nostrae, nos valde iuvabunt.

Ad normam redeo canonicam. Quae in communitate ecclesiali viget, estque veluti sacramentum voluntatis divinae diversimode expressae ad regendam Ecclesiam Dei. Etenim, uti a Concilio docemur, ille Spiritus qui Ecclesiam totam per omnia tempora in communionem et ministrationem unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit, “ecclesiastica instituta quasi anima eorum” etiam vivificat (*AGD*, 4).

Ex quo duo consequuntur: quod ecclesiastica instituta praeter ea quae a Christo sunt condita, spiritui Ecclesiae congruere omnino debent atque animabus salvandis vere inservire, in quo est suprema lex Ecclesiae; deinde vero quod ii, qui Sanguine Christi redempti ad Ecclesiam pertinent, iuxta propriam cuiusque missionem, iis parere tenentur quos Spiritus posuit regere Ecclesiam, legibusque obtemperare ab eisdem statutis, probe meditando se esse audituros Christum si eos audierint quos ipse Christus misit.

Haud pauci hodie ita loquuntur et scribunt quasi volvente tempore Ecclesia sese accommodare et conformare debeat spiritui alicui democratico, uti dicunt, adeo ut potestas regendae Ecclesiae populo reservetur, cuius ii, qui potestatem exercent, teneant vices.

Hi quidem ad Concilium appellant, quod de Ecclesia loquens primo dicit de Populo Dei, deinde de Sacra Hierarchia. Verum tamen cum in primo capite Constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium* sermo factus esset de voluntate Dei salvifica, fieri non poterat quin deinde de Populo Dei sermo continuaretur, quem salvare Deus constituerat, et ad quem pertinent sive Sacra Hierarchia sive ceteri de Populo Dei. Sed ex eis quae in capite tertio eiusdem Constitutionis de Sacra Hierarchia docentur, apparet sine ambiguitate locus qui ad Hierarchiam spectat in ambitu Populi Dei: nullum exinde dubium est quin eius potestas non a Populo oriatur, quasi ageretur de viris a populo libere electis et deputatis, sed a Christo cuius iidem,

et praesertim Summus Pontifex, vices in terris gerunt. Hanc Christi voluntatem nemini immutare licet.

Alia utique est res dicere Pastores suam potestatem exercere debere non in proprium commodum vel decorem, sed tamquam servos in bonum Ecclesiae et fidelium, quorum igitur voces auscultare debent, missiones servare et tueri, charismata legitime agnita prosequi et revereri. Sciunt enim Pastores non solum per seipsos loqui in Ecclesia Spiritum Dei, verum etiam per fideles, eos praesertim qui de eodem Spiritu vivunt et ecclesiali compagini tutandae suis bonis vocibus et operibus valde conferunt.

Quantum in huiusmodi servitio praestando valeat normae canonicae conditio et observatio nemo est quem fugiat.

In mentem venit charisma illud pernobile Sancti Francisci Assisiensis, quod auctoritate Summi Pontificis (antea Innocentii III, deinde Honorii III), agnitum firmatumque est, iisque institutionibus communitum, quibus delineandis magnam contulit operam Hugolinus de Comitibus Signiae canonista, qui deinde Papa electus, fuit Gregorius IX, Decretalium auctor.

Ad propositum redeuntes, norma canonica non est ut quaevis norma iuridica, puta societatis civilis, computanda (*uti egregie nuper dixit Prof. Giacchi*). Verum quidem est Ecclesiam inter historicas vices tam varias tamque diversas a iuribus civilibus, praesertim a iure romano, non quidem prisco sed iam progressu et evoluto, multa deprompsisse. Id ceterum ipsi Ecclesiae naturae et missioni congruit, ut per Concilium quoque Vaticanum II edocemur aliis inter alia: "Praeteritorum saeculorum experientia, scientiarum profectus, thesauri in variis culturae humanae formis absconditi, quibus ipsius hominis natura plenius manifestatur novaeque viae ad veritatem aperiuntur, Ecclesiae quoque prosunt" (GS, 44). Praeterea nonne ipse Sanctus Paulus, in Areopago disserens, ad proclamandam Dei existentiam ad Aratum poetam graecum recurrit dicentem: "Ipsius (i.e. Dei) genus sumus" (*Acta* 17, 28)? Legi paucis ante diebus Callimacum (*poesis et ius quandoque copulantur!*), inter poetas elegiacos graecos facile principem (saec. III a. Ch. n.) in Apollinem canentem: Ω' πολλῶν οὐ παντὶ φαίνεται, ἀλλ' ὁ τις ἐσθ' μέγας αὐτός, ὅς οὐχ ἴδε, λιτός ἐκεῖνος. Hoc est: "Apollo non omni patet, sed ei qui castus est. Qui illum videat, hic magnus est, qui non videt, vilis" (*Hymnus in Apollinem*, 10 s.). Nonne dixit Christus altiore quidem sententia: "Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt" (*Mt* 5, 8)?

Ius proprie quod spectat laudare fas est hunc Concilii textum: "Ecclesia, cum visibilem structuram socialem habeat, signum quidem suae unitatis

in Christo, etiam evolutione vitae socialis humanae ditari potest et ditatur, non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eandem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris feliciter accommodandam” (GS, 44). Haec verba meditentur qui ad catacumbas appellantes vel etiam ad aliqualem sed arbitrarium spiritum evangelicum quamlibet evolutionem structurarum, earum quidem quae mutari possunt, denegare volunt Ecclesiae.

Ex alia vero parte Ecclesia suae doctrinae lumine et virtute humanae quoque societatis compagem firmat melioremque facit dum multa se conferre posse credit ad humanam familiam eiusque historiam humaniorem reddendam (cf. GS, 40). Unde si ex romano iure haud pauca Ecclesia mutuavit, et recte quidem, ubi romanum ius iustitiae aequitatisque consulebat, ipsum ius romanum spiritu christiano imbutum est, uti comperire potest qui ius iustinianaeum investigat, et melius adhuc qui momentum illud singulare evolutionis iuris perpendit, quod “iure communi” exprimitur. Adeo autem christiana doctrina penetravit ius romanum, ut quaedam capita sensu ethnico cogitata spiritu christiano explicarentur. Quod non semper feliciter factum est (*Etenim quod spectat v.c. definitionem matrimonii a Modestino datam, ea aptata est matrimonio canonico, sed verba detorqueri debuerunt, ut significaretur quod Modestinus non volebat neque poterat exprimere suo tempore, ex sua cultura pagana*).

His tamen omnibus consideratis, dicendum est ius canonicum, etsi ex aliis iuribus mere humanis aliquas haurit normas, non ideo propriae et omnino peculiari naturae detraxisse aliquid, ideoque mansisse et manere semper, quemadmodum dixi, voluntatis salvificae Dei veluti sacramentum.

Cum ad pascendum Populum Dei sit ius canonicum destinatum, non ita pridem, praesertim post Concilium celebratum, de indole iuris canonici pastorali sermo fieri coeptus est.

Sane verba tantum valent quantum significat. Si pastorale dicitur quicquid ad mysticas oves ad pascua salutis dirigendas inservit, quaelibet norma canonica, utpote quae iustitiae aequitatisque consulat et rectum ordinem in comunitate christiana custodiat, pastoralis merito dicenda est. Dixeris potius de spiritu pastorali, quo normae legitime editae applicentur. Pertinet enim ad sapientiam et prudentiam Pastorum normas fideliter quidem sed bonitate applicare, singulisque in casibus illam epikeiam adhibere, qua, iuxta quoque legislatoris voluntatem, legum severitas emolliatur si id exigat bonum Ecclesiae salusque ipsius subditi (*considerata tamen in contextu salutis et boni communitatis ecclesialis: vellem haec adicere iis quae dicta sunt egregie a Prof. Giacchi: secus haberetur aliqua relaxatio legis*

arbitraria. Non observato bono communi, quilibet a qualibet lege gravatum sese sentire posset, ideoque ab ea liberatum. Et tamen dura lex, sed lex!). Non idcirco abnueris firmitatem quoque esse necessariam ipsasque poenas esse infligendas, si id exigat bonum commune. Pastor, qui hoc nomine dignus est, permittere non potest ut, incolumi lupo rapienti et vastanti, oves detrimentum capiant. In hoc quoque difficili iure exercendo et in norma poenali urgenda, uti monuit Paulus VI, caritas Christi et Ecclesiae refulget (cfr. *Parole sulla fede*, Milano 1968, p. 231).

Animus Pastoris ergo multum valet et influit: sed quomodo Pastor officio suo regendi recte fungetur, si ignorat, si negligit normas canonicas? Si, uti ait Sanctus Hieronymus, “ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est” (*In Isaiam*, prolog. n. 1), ignorare leges Ecclesiae est, saltem ex parte, ignorare Ecclesiam et instrumentis se privare multis, quibus tranquillitati populi christiani ipsique animarum saluti aequae consulatur. Est quidem inter normas et normas distinguendum neque necessaria semper est pastoribus profunda iuris cognitio: at semper animus iisdem insit reverendi institutiones, quae Ecclesiae Christi pariter ac charismata sunt necessariae.

Iuridismus proculdubio arcendus est: ius vel norma non est finis si-bimetipsi, cavillationesque iuris numquam fuerunt ars recti et aequi. Sed iura servare atque tueri, pariter ac obligationes et officia, legem ea deficiente interpretari et applicare “ad omnia illa quae proprie verba eius significant”, ut ait Navarrus (*Opera*, Romae 1590, t. II, tract. de poenitentia, dist. 1, n. 3, p. 533), ad iustitiam id omne pertinet et necessarius gradus ad caritatem extat: “Nihil est diligere Deum —ait Sanctus Leo Magnus— quam amare iustitiam” (*Sermo 95*, PL 54, 464).

Triumphet ergo iustitia et effulgebit caritas. Haec quidem, cum sit praeceptum magnum et summa virtutum, sine iustitia esse non potest vel, si videtur adesse, est species aliqua caritatis, non ipsa caritas, non caritas non-ficta, quam tantopere inculcat Paulus Apostolus (cf. *1 Cor 13*).

Inde vero cavendum est ne, dum iustitiam et iura proclamamus, in quendam populismum cadamus, qui etsi ad nos attrahit primo saltem momento favorem plebis, cuius iura tueri videmur, reapse iniustitiam facimus et iura aliorum conculcamus, cum evidenti caritatis et pacis detrimento.

Quod superest, quamquam, uti dixi, norma iuridica animo pastoralis applicanda est, eadem maneat iuridica oportet, ut via agendi certa demonstretur sine illis ambiguitatibus et aequivocationibus, quas quidam “pastoralistae”, bona quidem fide, uti credimus, ex manca tamen iuris cognitione vellent. Neque decent ius canonicum certae loquendi formae quae aliis



materiis aptissimae sunt aut alias Evangelii nuntiandi formas et rationes iuvare possunt (*Dixi alias: quia enuntiare legem ecclesiae et omnia moliri ut lex observetur, ad evangelium nuntiandum quoque pertinet*). Ius canonicum suam habet scientiam et propriam dicendi formam, quae si negligatur haud facile verborum vim significationemque intellegas. Ut exemplum afferam quod nostrum respicit laborem (*ego fui Secretarius Generalis Concilii: non potestis me accusare de parco amore erga Concilium, ut legi quandoque in aliquibus ephemeridibus. Si parum amarem Concilium, essem... contra meipsum!*), Concilium Vaticanum Secundum, quod indolem pastoralem prae se ferre visum est, de multis rebus disseruit gravis quidem ponderis et plura disciplinae capita vel statuit vel indicavit. Sed modus loquendi Concilii non semper aptus invenitur qui normas canonicas pro sua indole exprimere valeat (alius erat scopus Concilii, alia itaque dicendi forma adhibenda erat). Necessarium exinde pluribus in causis exitit Concilii proposita ex verbis et spiritu depromere, illaque in Codice forma iuridica pandere. Quod contigit praesertim in re matrimoniali, cum quidam verbis Concilii innixi sed perperam intellectis vellent tum ipsam notionem matrimonii tum eius proprietates essentielles in discrimen revocare. Quod longe fuit a mente Patrum Conciliarium.

Ipsae notiones collegialitatis, responsabilitatis vel corresponsabilitatis, subsidiariorum, oportet ut explicentur clare, aptis statutis normis, ne conflictus exoriantur et confusiones quae ipsam Ecclesiae compagem, tam ordinate a Christo constitutam, in periculum deducerent.

Collegialitatem pressius quod spectat, Concilium necessitatem habuit explicandi per notam praeviam ab omnibus compertam quae pridem in Constitutione *Lumen Gentium* dicta fuerant, ita ut omnis errata interpretatio inde a limine arceretur. Sine hac nota praevia explicativa Paulus VI permissurus fuisset numquam suffragationem Constitutionis ultimam in Concilio, et tali mente cum Patribus eam approbavit. Id clare dixit in Oratione habita in sessione, in qua Constitutio promulgata fuit.

Corresponsabilitas in iure pariter definienda et determinanda erit, ne principium quod est in se bonum et respondet voluntati Christi, ita re applicetur ut non cooperatio iuxta Ecclesiae naturam habeatur inter fideles, Pastores et subditos, sed aliqua, ut ita dicam, permutatio vel commixtio partium, quae est contra rectum ordinem in quolibet organismo licet physico observandum.

Quod denique collegialitatem et subsidiariorum spectat, abnuendum non est inde a Concilio Conferentias Episcopales suum momentum vel obtinuisse vel auxisse: eisdem tributum quoque est ut quibusdam in causis



leges condere possent. Sed cum ad rem devenitur, non unam nanciscimur difficultatem, non solum quia haud pauci Episcopi — in comperto est — conqueri incipiunt quod ad Conferentias deferatur quod sui proprii iuris est, sed praesertim quia Conferentiae Episcopales non ubique ita constitutae sunt ut huic suo legum ferendarum muneri apte respondeant: quod ut fiat est tamen in votis. Quidam autem timent ne auctis Conferentiarum Episcopaliū facultatibus, Ecclesiis nationalibus creandis via pandatur. Oportet igitur non solum normas condere pro recta constitutione et functione harum Conferentiarum, sed etiam leges canonicas ferre quae rite determinent Conferentiarum iura obligationesque tum quoad Sanctam Sedem tum quoad singulos Episcopos.

Exempla, uti patet, attulimus: at inter praecipua sunt, quibus novus qui dicitur Concilii spiritus manifestatur et exprimitur. Quodsi hodie Concilii dictamen in diversas distrahitur partes, aliis in “conservatorismum” aliis vero in “progressismum” vertentibus, *ut dixit prof. D’Avack*, id non solum diversis propositis atque ingeniis aut distinctis Concilii interpretandi modis haud semel arbitrariis tribuendum est, sed etiam nondum promulgatis aptis normis aut iam promulgatis non observatis, sin neglectis aut male intellectis, saepenumero per deficiens iuris studium.

Quapropter, ut concludam, gaudeo vehementer quod haec inclita Universitas tertium Conventum Societatis Internationalis Canonistarum digne exceperit, gaudeo quod Sacra Congregatio pro institutione catholica mox ediderit Instructionem studiis iuris canonici in Seminariis fovendis et colendis: sed, ut gaudium sit plenum, spem foveo varia incepta bonum exitum esse habitura, adeo ut Ecclesiae in iustitia et caritate restaurandae sint profutura: quod omnium est hodie in votis.